



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Liber VII. & VIII. De Inceptione, Duratione, & Desitione rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

LIBER VII. & VIII.
DE INCEPTIONE, DURATIONE & DESITIONE RERUM.

IN Libro septimo agit Aristoteles de duabus conditionibus ad motum requisitis, nempe, utrum omne, quod movetur ab alio necessario moveatur, & agens debeat esse simul cum passo; posteriorem examinavi in secundo disputando, utrum possit dari actio in distans, priorem in tertio, ut proinde nihil hic restet tractandum de illis. In octavo vero tractat de primo motore, mundi Aeternitate, de motu projectorum & desitione rerum, primum relinquo Theologis, secundum ad libro de Caelo remitto, tertium expedivit liber tertius, quartum ergo superest enucleandum, cui ob materiae affinitatem, res enim, quae incipit, prius durat, quam desinat, ideò huic materiae de duratione & tempore adjungo tractatum, cujus explicatio aequè perdifficilis est ac superiorum, nam, ut inquit D. Augustinus lib. 11. Confess. cap. 14. *Quid est ergò tempus? si nemo ex me querat, scio; si querentem explicare velim, nescio*: cujus cognitionem ardentissimè cap. 22. à Patre luminum exposcit, & ego post eum humiliter rependo, id ex eius dictis & scriptis explicare adlaborabo. Est igitur

QUAESTIO I.

Quomodo res incipiant & desinant?

Ut aperiam, quid in hac quaestione dicendum sit, nonnulla erunt praemittenda; Primo, inceptionem significare initium durationis rei: desitionem vero finem durationis ejusdem; unde quando quaeritur, quomodo res incipiant, aut desinant, nil aliud sciscitatur, quam, quomodo se habeant instantia, an scilicet ex parte principii connumerandum sit instans cum tempore, in quo res existens dicitur, ita ut in illo jam sit, & immediatè antè non existerit; an verò pertineat ad tempus praeteritum, in quo res nondum erat, ita ut in ipso nondum existat, sed immediatè post: similiter ex parte finis, pertineat ne instans ad id tempus, in quo res adhuc est, ut in ipso res existat, & immediatè post non sit? cum verò spectat ad futurum, in quo res ita non existit, ita ut in eo instanti non sit & immediatè antè existerit: unde colligitur unam quamque rem altero duorum modorum incipere: nimirum vel in instanti, quo ita est, ut immediatè antè non fuerit, quod Philosophi in Scholis vocant incipere per primum

sui esse, sive intrinsicè vel in instanti, quo ita non est, ut immediatè post sit, quod appellant incipere per ultimum non esse, sive intrinsicè; pariter se habet res in desitione, altero duorum modorum rem desinere, aut, scilicet, in instanti quo ita est, ut immediatè post non sit, quod vocant desinere per ultimum sui esse & intrinsicè, aut in instanti, quo ita non sit, ut immediatè antè fuerit, quod appellant desinere extrinsicè, per primum sui non esse, ad quod

Dico I. *Entia essentialiter successiva incipiunt in instanti extrinsicè, & per ultimum sui non esse, & desinant etiam extrinsicè per primum sui non esse.* Est comm. Prob. 1. p. quia eo ipso, quo sunt successiva, aut quòd successivè acquirantur, non potest fieri, quòd ulla pars ipsorum simul producat, & consequenter nequit de ipsis dici, nam primò sunt & immediatè antè non fuerunt, sed tamen potest assignari instans, in quo verum sit de ipsis dicere, jam non sunt & immediatè post erunt, & illud instans est ultimum ex omnibus, quibus non accipiunt suum esse, & est extrinsicè durationi ipsorum, quandoquidem in eo non sunt; ergò solum possunt dici incipere in instanti extrinsicè per ultimum sui non esse.

II.
Entia successiva incipiunt per ultimum sui non esse.

III.

Secunda pars patet ex prima.

quia cum sint successiva, nec secundum se tota, nec secundum ullam sui partem possunt esse in instanti; ergo nequit pro ullo instanti verè de ipsis dici, jam sunt, propriè loquendo, sed benè potest dici, jam non sunt & immediatè antè erant; ergo non poterunt desinere per ultimum sui esse, seu intrinsicè.

Dices: Admissis istis instantibus, poterit primum indivisibile initiativum motus acquiri in instanti, & ultimum terminativum similiter; ergo potest absolutè dici, quòd motus incipiat intrinsicè, & etiam desinat intrinsicè. *R.* ex hoc tantum sequi, quòd aliquid spectans ad motum possit incipere & desinere in instanti intrinsicè, non autem quòd iste motus sic incipiat, aut desinat.

IV.
*Quæ non sunt
successiva
possunt utro-
que modo de-
finere.*

Dico 2. Quæ successivè acquiruntur, & non sunt essentialitèr successiva, ut calor & frigus, possunt desinere, aut in instanti intrinsicè, id est, per ultimum sui esse, aut extrinsicè, per primum sui non esse. Patet, quia Deus potest conservare calorem productum per horam, usque ad ultimum instans istius horæ inclusivè, & potest ipsum non conservare ulterius, sed in tali casu, verum esset dicere, jam calor est & immediatè post non erit; ergo potest calor desinere immediatè tunc, & sic verum esset dicere, jam non est & immediatè fuit, ergo.

Dico 3. Indivisibilia quæcunque, & etiam divisibilia indivisibilitèr acquisita, incipiunt in instanti intrinsicè, per primum sui esse, desinunt verò quandoque intrinsicè per ultimum sui esse, quandoque extrinsicè per primum sui non esse.

Probatur prima pars, quia cum sint indivisibilia, seu indivisibilitèr producibilia, non impedit quidquam, quò minus in instanti semper producantur.

Probatur secunda pars, quia huiusmodi producta in instanti possunt non conservari ulterius, & sic desinere in instanti extrinsicè per ultimum sui esse, & sic debet dici desinere omnis forma substantialis, quæ per aliam formam in instanti expellitur.

Dices: Non requiri talia instantia in ceptionis, aut desitionis, quia potest Deus imponere homini præceptum amandi Deum aliquando ante mortem indeterminatè, sed si talis non amaret Deum, non posset assignari, quando peccaret, quia non posset assignari, quando determinatè obligaretur; ergo peccatum ipsius incipit indeterminatè, & gratia consequenter expulsa desinet indeterminatè. *R.* talem non posse obligari pro tempore indeterminato, ut volunt Adversarii, sed pro quocunque instanti, vel tempore determinato, pro quo advertit periculum esse, nisi tunc impleverit præceptum, non poterit de cætero implere.

QUÆSTIO II.

Quid sit duratio & quomodo à re durante distinguatur?

I.
*Duratio dup-
licitèr con-
sideratur.*

Duratio, secundum Ethymologiam nominis, est, quæ res est, & persistit in rerum natu-

ra, potestque dupliciter considerari: Primò propriè, & est quædam permanentia in esse; unde ait Virgilius: *Durate & vosmet rebus servate secundū.* Secundò latius pro habitatione quæcunque alicujus esse etiam instantanea, unde solemus respondere querentibus, quàm diu solent durare res istæ vel illæ? anno, mense, horâ, instanti; & juxta hunc usum Scotus 2. d. 2. q. 4. quòd si Angelus existeret pro unico tantum instanti, adhuc duraret: quiddid tamen sit, in quæstione de nomine ad rem procedo, &

Dico 1. Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus; Ita Scotus 2. d. 2.

Probatur, potest quis durare & existere ac perseverare, etiam si nullum tempus esset, cui coexistere, verbi gratiâ, si Deus ante productionem mundi, creasset Angelum; ergo duratio non consistit in actuali coexistentia ad tempus.

Dices: Duratio est actualis coexistentia ad tempus imaginarium, quod sufficit. Contra duratio illa esset realis actualis, sed existentia ad tempus imaginarium non est realis actualis; ergo duratio nequit consistere in coexistentia ad tempus imaginarium.

Arguitur: Non potest res intelligi sine ordine ad tempus, sive verum, sive imaginarium; ergo dicit essentialè ordinem ad tempus, sive verum, sive imaginarium, sed non alium, quàm coexistentiæ; ergo. *R.* dist. antecedens sine ordine actuali nego, sine ordine aptitudinali, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Instatur: Ipsa res, quæ durat per mediam horam, habet aptitudinem ad durandum per integram horam, & tamen non haberet durationem unius horæ; ergo duratio dicit aliquid ultra aptitudinem. *R.* dist. ma. aptitudinem remotam concedo, proximam, seu talem, qualem haberet, si duraret per horam, nego majorem, & concessâ minori, similiter dist. conseq.

Urgetur: Eo ipso, quo intelligitur res actu coexistere, intelligitur durare; ergo coexistentia actualis est duratio ejus. *R.* neg. conseq. quia hoc non provenit ex eo, quòd coexistentia illa sit duratio ejus, sed ex eo, quòd necessariò præsupponatur duratio ad illam coexistentiam; sicut ergo non posset intelligi, quòd subjectum reciperet actu calorem, verbi gratiâ, quin intelligatur existere, seu quin præsupponeret existentiam, ita in proposito. Jam ad secundam partem quæstionis progredior, &

Dico 2. Duratio creata non distinguitur realitèr à re durante & actione, quæ producitur & conservatur. Hæc est Scoto conformis 2. d. 2. q. 2. quem præter suos sequuntur Oviedo, Suarez, Vasquez, Valentia, & alii plurimi Recentiores Thomistis contrarii, Arriaga, Complut. Conimbr.

Probatur primò, eo ipso, quo res aliqua terminat actionem productivam & conservativam, durat instanti vel temporî; ergo nihil aliud superadditum requirit ad hoc, ut duret.

Probatur

Probatur secundò, quia si esset ali- quid distinctum, vel absolutum esset illud, vel respectivum; non absolutum, quia necessariò deberet esse posterius re durante, quã saltẽm ex- stente, & sic esset separabile ab illa, quia omne absolutum prius alio absoluto posteriori, potest produci absque illo posteriori, & sic res posset esse producta & conservata, quoad existentiam & tamen non durare: non etiam respectivum, quia omnis respectus realis debet habere terminum realem, posset autem res durare, etiamsi non esset aliud, ad quod terminaretur, ut si solus Angelus esset à Deo productus. Confirmatur, quia nullum signum distinctionis realis est inter rem conservatam & durantem, seu inter du- rationem & conservationem, ergò.

conservata & conservatione, tamen illud, à quo haberet res coexistere alteri rei, esset quid re- spectivum, quia denominatio illa coexistentiæ, quæ esset hoc vel illo tempore, esset relativa.

Dices: Prius est rem existere, quã du- rare; ergò duratio est accidens superadditum rei existenti. *R. dist. ant.* prius est rem existe- re, quã durare, prout duratio habetur etiam in instanti, nego antec. sumendo pro conserva- tione rei, concedo antec. & nego consequent. Unde si duratio est formalitèr ipsa existentia rei, non magis una est intrinseca rei, quã altera: si verò duratio est actio productiva & con- servativa, quãvis magis sit intrinseca existen- tia, quã actio productiva, non sequitur, quòd duratio sit accidens distinctum ab actione & conservatione. *R. secundò* negando conse- quentiam, quia non sequitur, hominem prius esse rationalem quã risibilem; ergò risibili- tas est accidens superadditum rationalitati; ergò nec in proposito.

Dico 3. Duratio adequatè dividitur in eter- nitatem, ævum & tempus. VIII. Divisio duratio.

Probatur, quia nulla est duratio, quæ non sit vel rei permanentis, id est, existentis se- cundum omnes suas partes simul, ut est motus successivus: si est duratio rei successivæ, erit tempus, de quo sequenti quæstione, si rei per- manentis, tunc vel erit duratio rei permanentis sine initio & fine, & sic erit æternitas, quæ de- scribitur à Boëtio lib. 9. de consolatione prosã 6. interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio, & hæc æternitas dicitur à parte antè & post: vel est duratio rei habentis principium sine fine, vel finem sine principio & erit ævum, sic si Angelus creatur ab æterno, & destrueretur aliquando, esset ævitermus, à parte antè, sicuti etiam defectò ex eo, quòd anima sit in æternum duratura, licèt principium habeat, dicitur ævi- terna à parte post.

QUÆSTIO III.

Quid sit tempus?

Temporis elucubratiõ, quantum I.

temporis, quantumque laboris requirat, testa- tur ingeniorum omnium culmen & apex Au- gustinus, qui licèt annos natu sermè viginti (sunt verba ipsius de se loquentis lib. 4. Confess. cap. 16.) cum in manus meas venissent quedam Aristotelica, quas appellant Categorias, quarum nomi- ni cum eas Rhetor Carthaginensis, Magister meu buccu typo crepantibus commemoraret & alii, qui docti habebantur; tanquam in, nescio, quid magnum & Divinum suspensu inhiabam, legi eas solus & intel- lexi, quas cum contulisset cum eis, qui se dicebant, vix eas Magistru eruditissimũ, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse, nihil mihi aliud dicere potuerunt, quam ego solus apud me ipsum legens cognoveram; hic, inquam, Augusti- nus, licèt quælibet sine labore intellexisset, pe- netrasset, explicasset, tempus tamen se capere non posse, fatetur ingenuè: unde ipse plurimas, easque diversas per librum undecimum Con- fessionum tradit definitiones, nam cap. 26. ait: Difficilis co- gnitio tem- poris.

Mihi

V. Arguuntur in corpore.

VI.

VII.

Mibi visum est, nihil aliud tempus esse, quam distensionem, sed cuius rei distensionem? nescio & mirum, si non ipsius animi: & cap. 27. dicit: in iste anime meus, attende, ubi albescit veritas (de tempore quod indagat) in te anime meus tempora metior. In te, inquam, quam res pretereuntes in te faciunt, & cum preterierint, manent, ipsam metior presentem. Adde totum caput 28. quomodo minuitur, aut consumitur futurum, quod nondum est? aut quomodo crescit preteritum, quod jam non est? nisi quia animo, qui illud agit, tria sunt, nam expectat & attendit, & meminit, ut id, quod expectat, per id quod attendit, transeat in id, quod meminerit: qui igitur negat futura nondum esse? sed tamen jam est in animo expectatio futurorum. Et qui negat preterita jam non esse? sed tamen adhuc est in animo memoria preteritorum. Et qui negat presentem tempus careere spatio? quia in puncto preteriti? sed tamen perdurat attentio per quam peregit abesse, quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non est, sed longum futurum, longa expectatio est futuri. Neq. longum preteritum tempus, quod non est, sed longum preteritum, longa memoria preteriti est. Dicitur sum Canticum, quod novi: antequam incipiam, in totum expectatio mea tenditur: cum autem capero, quantum ex illo in preteritum decerpsero, tantum tenditur in memoria mea, atq. distenditur vita huius actionis mea in memoriam, propter quod dixi & in expectationem, propter quod dicitur sum, presentem tamen est attentio mea, per quam trahitur, quod erat futurum, ut fiat in preteritum. Quod quam magis agitur & agitur, tantum breviora expectatione prolongatur memoria, donec tota expectatione consumatur, cum tota actio finita transierit in memoriam. Et quod in toto canticum, hoc in singulis ejus particulis fit, atq. in singulis syllabis ejus; hoc in actione longiore, cuius forte particula est illud canticum, hoc in tota vita hominis, cuius partes sunt omnes actiones hominis: hoc in toto seculo filiorum hominum, cuius partes sunt omnes vitæ hominum. Et alibi alia, ego tamen his relictis, in quibus, vel moraliter agit, vel dubitative disputat, quaestionem resolvo, &

II.

Definitur
tempus extrinsecum.

Dico I. Tempus extrinsecum nihil est aliud,

quam numerus & mensura motus, secundum prius & posterius. Ita Doctores nostri Sancti, quibus profanus non contradicit, sed idem docet Aristoteles cap. 11. & 4. Phys. text. 1. hic.

Probatur ergo primo ex D. Aug-

ustino lib. 11. Confess. ubi ait: Longum tempus non fit, nisi ex pretereuntibus motibus, & lib. 12. cap. 11. Sine variatione motionum tempora non fiunt, lib. 3. Mus. cap. 3. motu est (inquit) in me, quod sonat & syllaba utiq. sonant: cum ergo syllaba inter se conferuntur, motu quidem inter se conferuntur, in quibus possunt numeri quidem temporis, mensurata diuturnitatis inquiri. Et lib. Imperf. Gen. cap. 3. dicit: Tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, quod si admittimus, quaerendum est, utrum preter motum possit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima vel ipsa mens, que utiq. in cogitationibus movetur ab ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest: quod si accipimus, etiam ante caelum & terram potest intelligi tempus fuisse: ante caelum & terram facti sunt Angeli: erat enim jam creaturæ, quæ motibus incorporeis motus ageret: & cap. 5. Facta creaturæ motibus caperunt currere tempora,

unde etiam ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possent inveniri creaturæ ante tempora. Motu enim si nullus esset vel spiritualis, vel corporalis creaturæ, quæ per presentem preterita succederent, nullum esset tempus. Similiter D. Bernardus docet, non esse tempus, ubi non est transitus de futuro, in preteritum, sed æternitas, si est, continuum est; ergo ex mente ipsius ibi tempus est, ubi est nullum est. Audi itaque mellifluum Doctorem Serm. 31. in Cantica, ad initium: Tolle tempus fuit & erit: unde jam transmutatio, aut vicissitudo obumbratio? At quidquid veniens ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum sane habet per est, sed omnino non est, (NB.) nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? solum proinde vere est, quod nec a fuit præciditur, nec ab erit expungitur, sed solum atq. inexspugnabile ei manet est & manet quod est, nec fuit sanè tollit ibi esse ab æternis, nec erit, esse in æternum, ac per hoc vendicat sibi verum esse, id est increabile, interminabile & invariabile. Sic etiam dicit Augustinus in Pf. 9. In his rebus, quæ temporis volubilitatem præterfluum, nihil habent, nisi erit & fuit. At licet hæc conclusio per has auctoritates probata sit legitima, explico tamen eam, adhuc modo Scholastico. Dicitur itaque numerus per quod intelligitur numerus materialiter sumptus, in quantum est aptus mensurare motum: unde in re idem est, quod mensura, ideoque alterutrum sufficit: utrumq. tamen ponitur ex eo, quod ista mensura, nequeat fieri sine divisione partium, que divisio numerum facit, nam ego non possum mensurare motum meum ex hoc loco usque Wartam, per continuum motum Solis vel primi mobilis, nisi dividam partes primi mobilis per intellectum, cum à parte rei ille fit continuus. Et hinc patet, quomodo intelligendus sit D. Augustinus supra per totum caput 28. & alibi, dum tempus appellat animæ opus, animi distensionem, quia secundum rei veritatem, dies, annus, hora, quadrans, si non entia rationis sunt, non multum absunt, ad minus sunt relationes rationis. Itaq. numerus & mensura locum generis obtinent: in hoc enim convenit tempus cum aliis mensuris rerum permanentium, ut ulna, cubiti. Particulae verò, secundum prius & posterius locum habent differentia, quæ denotant motum esse successivum & significant, quod tempus sit mensura motus secundum quod partes motus sibi invicem succedunt. Sed contra hanc Conclusionem

Opponitur Auctoritas D. August. lib. 11. Confess. sæpe cit. cap. 24. dicentis: Tempus non esse mensuram motus, sed etiam quietis; ergo definitio mala, quia hoc posterius exprimit. Antec. probatur adducendo verba, ait enim S. Pater, non solum motum corporis, sed etiam statum metimur & dicimus tantum stetit, quantum motum est, aut duplo, vel triplo stetit ad id, quod motum est, & si quid aliud dimensio nostra, sive comprehenderit, sive existimaverit, ut dici solet, plus minus, non est ergo tempus corporis motus. R. verum esse, id, Sanctum Doctorem asserere, sed tantum vult quod tempus sit mensura quietis per accedens tantum, in quantum quietis privative opponitur motui, qui per se mensuratur tanto tempore, qui motus in memoria adhuc existere potest: adeoq. per illum quietis

quies mensurari & satis conformiter ad dicta Augustini supra citati. Sed

Instatur: Idem S. Doctor cap. 26. dicit, *metior motum corporis in tempore, item ipsum tempus non metior?* tempus metior scio; ergo tempus adhuc nequit esse mensura motus, cum ipsum tempus adhuc metiri debeat. Sed R. negando conseq. licet enim tempus mensurari possit, non mensuratur tamen per idem tempus, sed per aliud: quando ergo S. Augustinus dicit, ipsum tempus mensurari, aliud non vult, quam quia tempus intrinsecum mensuretur per tempus, motus enim & tempus intrinsecum distinguuntur.

Urgetur: Prius & posterius explicatur per tempus; ergo dum tempus per hoc explicatur, committitur circulus vitiosus. Probatur aut. quia illud est prius, quod praecedit tempore & posterius, quod sequitur; ergo non recte ponitur: probatur haec conseq. quia alias idem ponitur in hac definitione, quod est committere circulum. R. primò: prius & posterius non explicari per tempus, sed designari prius & posterius esse in motu, cujus mensura est tempus. R. secundò dist. anteced. prius & posterius duratione explicatur tempore concedo, prius & posterius ipsius motus explicatur tempore nego ant. haec enim prioritas & posterioritas provenit ex magnitudine mobilis, quod movetur & qua derivatur in partes motus: exemplum sit: moveatur corpus ab uno extremo huius Ecclesiae ad aliud extremum, illud corpus, quia est extensum, non potest esse simul in eadem parte spatii, secundum omnes suas partes, sed secundum unam debet esse in una parte spatii, & secundum aliam postea, & sic deinceps, donec omnes partes, una post aliam in idem spatium succedant, ubi videt mobile, seculo respectu ad omne tempus, ob suam extensionem haberi, ut non occupet eandem partem spatii, quam altera occupat nisi illa recedente, & per consequens motum mobilis secundum unam partem sui ad illud spatium non pot. nisi desinente motu alterius partis ad idem, & proinde ipsum motum habere partes prioris & posterioris ab ipso mobili, antequam intelligatur tempus.

Arguitur secundò, ea ratione: motus meus ex hoc loco usque Wartam non est tempus; ergo definitio mala. Probatur ant. quia Deus posset illum totum motum in instanti ponere, videlicet me per unicum instantem Wartam, ergò. R. Philosophum non definivisse tempus, nisi ut est mensura motus naturalis & non supernaturalis, qualis esset iste, quia licet Deus poneret omnes illas praesentias locales in unico instanti, qui sunt motus fundamentaliter sumpti, non tamen habet rationem motus naturalis, nisi successivè acquiratur, secundum quod consideratur à Philosopho naturali.

Instatur: Tempus potest esse mensura instantis, quia motus instantaneus mensuratur aliqua mensura; ergo etiam ille motus, licet fieret in instanti. R. negando conseq. ad antecedens dico, quòd instans naturale non mensuratur per tempus reale, sed imaginarij, ergò.

F. Amandi Hermann Physica.

Dico 2. Tempus intrinsecum non distinguitur à re successiva, verbi gratia, tempus intrinsecum motus, quo Sol movetur, ab Oriente ad Occidentem. Haec est Doctoris de rerum principio cap. 18. & communior Scotistarum contra Thomistas.

V. Tempus intrinsecum non distinguitur à re successiva.

Probatur primò, ex regulis definitionis realis, quarum nulla convenit tempori intrinsecò & motui, vide illas in Logica.

Probatur secundò, tum quia duratio rerum permanentium, non est quid distinctum realiter à re durante, ut supra dictum est; ergò nec duratio rerum successivarum, tum quia nulla est necessitas talis distinctionis, ergò. Sed in contrà

Dices: Idem motus est duplo velocior, verbi gratia: si primum mobile spatio duodecim horarum circuitet, quem defectò circuit spatio viginti quatuor horarum, & econtra posset duplo tardior, sed idem tempus nequit esse tardius & velocius quam sit semel, quia alias ex coexistentia duorum aliquorum ad idem tempus non posset colligi, quòd aequè durarent, ergò. R. neg. majorem, licet idem spatium possit tardius, vel velocius percurrì, tamen non eodem numero motu, quatenus motus dicit successivè talem vel talem, ab hoc motu non distinguitur tempus: quatenus verò dicit partes sibi succedentes, quae per motum citius, vel tardius acquiruntur quam alias possent acquiri, sub hac ratione distinguitur tempus à motu, quia duratio non dicit talem acquisitionem partium, sed quàm diù durat haec successio partium; & si quaeras, unde ergò habent illae partes, quòd sibi invicem succedant, & aliquando cum majori mora, aliquando cum minori? R. efficienter hoc habere à causa efficiente & impedimentis, aliisque conditionibus concurrentibus, formaliter à se ipsis, supposità tali actione, quali producitur in illis iisdem circumstantiis.

Dico 3. Tempus extrinsecum est necessariò quid successivum.

VI. Tempus est quid successivum.

Probatur, quia nil, nisi successivum potest nobis mensurare quantitatem motus, sed tempus extrinsecum est id, quod est aptum nobis mensurare quantitatem motus, ut patet, ex definitione ad initium posita: ergò.

Dico 4. Motus quicumq; successivus est tempus extrinsecum partiale, motus verò primi mobilis est tempus extrinsecum universale. Haec est comm.

VII. Motus quilibet est tempus partiale.

Probatur prima pars, quia omnis motus potest nobis certificare quantitatem alterius motus, eamque mensurare, ut patet de motu clepsydrae.

Probatur secunda pars, illud est tempus universale, quo communiter homines uti solent ad mensuram durationis rerum, sed illud est motus primi mobilis, ergò. Et hinc iste motus est divisus ad commune bonum hominum in horas diei &c. dicitur autem hic motus extrinsecum universale, quia est valdè vulgaris & notus omnibus, ac in toto orbe uniformis, duraturusque usque ad diem iudicii.

Y y Oppo-

VIII.
Opponitur
& solvitur
Scriptura.

Opponitur Contra secundam partem S. Script. Genes. I. ubi habetur, quod Deus creavit Solem & Lunam in firmamento cœli, ut dividat diem ac noctem, sintq; in signa & tempora, in dies & annos, ergo tempus universale potius consistit in motu Solis & Lunæ. R. Solem & Lunam dividere diem & noctem prout moventur propriis motibus in anno vel mense, qui motus non ita sunt nobis noti, sed prout spatio viginti quatuor horarum moventur ab Oriente ad Occidentem, & è contrâ ad motum primi mobilis. Per quod patet, quid dicendum ad D. Augustinum, qui cap. 23. Confess. sic habet: *Audivi à quodam homine docto, quod Solis ac Lunæ, ac siderum motus ipsa sint tempora & anni. Cur enim potius non omnium corporum motus sint tempora? an verò, si cessarent cœli lumina, & moveretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros & diceremus, aut aequalibus morulis agi, aut si alius tardius, alius velocius moveretur, alios magis diurnos esse, alios*

minus? aut cum hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur? aut essent in verbis nostris alia longa syllaba, alia breves, nisi quia illa longiore tempore sonuissent, ista brevior? Deus, dona hominibus videre, in parvo communes notitias rerum parvarum, atq; magnarum. Per quæ, licet videatur negare motum cœli, tempus esse, attamen S. Pater solium vult motum cœli, non ita tempus esse, quin etiam esse possint motus aliarum rerum, quod nihil est contra nos. Et hæc de octo libris Physicorum, & tempore dicta sufficiant, ad laudem & gloriam ejus, in cujus potestate sunt dies & tempora, qui facere dignetur, ut omnia in bonum impendantur, & in hoc defectus puniat, ut in futuro pateat, nam, ut dicit mellifluus Bernardus Serm. 17. de diversis: *volat verbum irrevocabile, volat irrevocabile tempus, nec advertit inspiens quid admittat.*

Verbo:



Tempora mutantur, more fluentis aquæ.

